

liora loca quam facillime explicantur. Hoc autem quidquid laboris est, quod libentissime vobis clarissimis viris dedicatum, et grati animi ergo consecra-

tum, volo, alacri vultu accipite, ac si probatur, edite, meique memores valete.

Senogalliæ pridie idus Martii 1594.

SCHÆNEMANNI NOTITIA

IN QUA

LOCUS TEMPUS ET FORMA OMNIUM EDITIONUM S. PETRI CHRYSOLOGI INDICANTUR.

Multis jam edissertis de vita et operibus B. Petri Chrysologi, non erit forte ingrata lectori de scriptorum S. Patris editionibus notitia sequens: quam nomen et ætas Auctoris eximiam et universam sat pollicentur. EDIT.

Dictum est, sermonum Petri Chrysologi collectionem, qualem modo indicavimus, esse antiquissimam, utpote quæ a Felice Ravennatensi et ipso episcopo numero XLI, insunte sæculo octavo (tenuit enim sedem episcopalem ab anno circiter 707 usque ad a. 717) instituta et prologo ornata est, qui non solum in codicibus mss. sermonibus præfixus conspicitur, sed exinde etiam exscriptus et Vitæ Petri a Dominico Mita conscriptæ adjectus est (a). Eam octingentis et quod excurrit sæculis post a situ primus vindicavit Agapitus Vicentinus et Bononiæ typis Jo. Bapt. Phaelli ex unico codice imprimendam dedit. Inde recusa est Colonix Agrippinæ a. 1541 et 1618; Parisiis, 1574, 1585, 1612, 1614, 1618, 1631, 1633; Antuerpiæ, 1577; Venetiis, 1588 et 1636; Monguntiz, 1607 et 1613; Lugduni, 1622, 1623, 1627, 1634, 1636; sed plures undique ab officinarum negligentia maculas vitæque contraxit. Novam recensitionem ad manus scriptos quosdam codices Romæ inventos exactam paraverat Petrus Rodolphus, Tussignanensis, olim Senogalliæ præsul, eamque scholiis suis illustratam a. 1594 editionis causa obtulerat senatui Imolensi. Ac litteræ ejus quidem in Commentaria senatus relatæ sunt, sed quid codici isti acciderit, ignoratur (b). Perfecit tamen novæ editionis consilium Dominicus Mita, textumque ad vetustos codices recognitum et scholiis suis non admodum doctis enucleatum proposuit Bononiæ a. 1643 in-4^o. Sed hujus editionis fructus ad Gallos quidem et Germanos non pervenerunt, quippe qui non cessarunt antiquiora exemplaria iterato describere, licet non deessent,

qui meliora optarent. Erant enim, quos Chrysologi dictio delectaret, et qui acumen quoddam sententiarum in eo admirarentur. Fertur quoque doctus aliquis Suecus Zacharias Lundius commentarios variarum lectionum et animadversionum in Chrysologum condidisse, qui lucem quidem non viderunt, sed Jo. Alb. Fabricii tempore mss. servabantur Hafniæ apud Rostgaardum (c). Enimvero in Italia ipsa Mitæ editio non nisi post integrum fere sæculum, iterum typis Venetiis anno 1740 exscripta est. Novæ postea editionis adornandæ consilium invasit Sebastianum Pauli sacerdotem congregationis Matris Dei Lucensis, qui quidem non vulgares res a multifaria sua doctrina expectari jussit. Prodiit opus Venetiis a. 1750 collaudatum a Mansio, quem nemo justum hac in re arbitrum reputari oportere inficiabitur; tametsi justam editoris diligentiam in quibusdam, quæ idem de eo retulit, desideres.

Epistolæ ad Eutycheten duplicem vulgo tradunt exstare editionem, unam in S. Leonis M. editionibus Quesnelliana anterioribus, in qua totum caput secundum post verba. *Hæc breviter respondi, frater. litteris tuis, desit; alteram* integram, quam primus ediderit Gerardus Vossius a. 1604. Qua in re tanto magis fides habenda esse videtur Quesnello, cum addit priorem descriptam esse ex codice ms. Bibliothecæ Thuanæ; quem etiam bona fide secuti sunt Ballerini.

Nihilominus hæc falsa sunt. Quippe nulla est Leonis M. ante Quesnellum editio, in qua hæc epistola occurrat. Experientia hoc edocti sumus, et ne nos ipsi fefellisse credamus faciunt indices ordinem Epistolarum in editionibus superioribus representantes, in Quesnelliana juxta quam Ballerini editione obvii (d). Sed nec magis verum est alterum, quod idem Quesnellus scripsit, integram epistolam a Ge-

(a) Eundem quoque Casim. Oudinus inseruit Commentariis T. I, p. 1251.

(b) Exhibet epistolam istam Dominicus Mita in appendice documentorum ad Vitam Petri Chrysologi. Audivisse se significat Rodolphus, senatum Imolensem consilium cepisse civis sui præclarissima ingenii monumenta in lucem revocandi. Se pro viribus labore suo et industria id adjuvare velle, *Adjumentum autem, inquit nullum afferri posse majus a me comperi, quam auctoris hujus homiliis, quoad fieri possit, corrigendis et emendandis, ut ab omni, quam adhuc inter sordes et tineas passæ sunt, injuria vindicentur; sicque ab earum lectione... nullus posthac refugiat. Vitam quoque hujus sanctissimi viri, quam potui brevitate ac diligentia descripsi. Pervolutavi hæc de causa antiqua veteraque tabularia, quæ vel ex Vaticana vel ex ampliss. Sirlatana bibliotheca habere*

potui; sicque fidelissima veterorum codicum collatione adhibita, hunc Petri Chrysologi Sermonum librum quam diligentissime emendare sanareque laboravi, et proprio nitore prope restituere. Denique nullo officii pietatisque genere omisso, non antea conquievi, quam scholia quædam adjecerim, quibus et emendationum nostrarum ratio assertur et difficiliora loca quam facillime explicantur. Hoc autem quidquid laboris est, quod libentissime vobis dedicatum et gravi animi ergo consecratum volo, alacri vultu accipite, ac si probatur, edite, meique memores valete.

(c) Fabricius in Bibl. M. et Inf. Lat.

(d) Neve aliquis putet Quesnellum editiones Leonis operum cum editionibus Petri Chrysologi unam cum Leone M. evulgatis confudisse; etiam in his, quotquot eam repræsentarent, integram epistolæ exemplum non deesse monemus.

rardi Vossii editione demum esse profectam. Etanum dudum ante integra Latine legebatur in Actis concilii Chalcedonensis, quæ ipse Vossius laudat. Dicendum potius, in quibusdam mss. codicibus, quorum fontes monstrarunt Ballerini, inveniri hanc epistolam dimidio brevioram et capite secundo a laudatis verbis carentem; sed editorum textus sanior ex actis concilii Chalcedonensis profluxit.

SÆCULO XVI.

1534. *Bononia, ex typographia Jo. Bapt. Phaelli; in-4º.* S. Petri Chrysologi Sermones.....

Editor P. Agapitus Vicentinus Canon. Lateran. ordin. rector inscripsit hosce sermones cardinali Herculi Gonzagæ, deque sua in edendo opera hæc præfatus est: *Cum mihi sanctissimi pariter ac eloquentissimi viri Petri Chrysologi Ravennatis episcopi Sermones quam plurimi, omni certe auro, gemisque pretiosiores in manus venerint, non injuria in avaritiæ crimen vocandus judicaretur, si aut diutius clarissimis rebus tenebras obduci permitterem: aut nostros homines tam excellentis ingenii monumentis non sine magno eorum incommodo detrimentoque spoliatos atque orbatos æquo animo sustinerem: ..., cujus tamen in perpur-gandis ac potius instaurandis hisce sermonibus, incredibile dictu est, quantum laboris susceperim: propterea, quod ex codez, quem principio nacti fuimus, proximorum sæculorum incititia quadam quasi rubigine ita cum sædatus erat, tum mancus, ut nulla ferme in eo pars integra atque incorrupta reperiretur. Verum nos quantum ex antiquorum exemplarium collatione assequi potuimus, opem auxiliumque afferre conati sumus. Quare effectum est, nisi mea me fallit opinio, ut disertissimi hujus viri scripta in pristinum jam bene nitorem, nonnullis tamen exceptis, restituta sint.* Notatur hæc editio oppido rarissima, in Catalogo Bibl. Barberianæ et Pinellianæ.

1538. *Coloniæ, apud Petrum Quentel; in-fol.* Epistola integra Petri Ravennatis episcopi ad Eutychem abbatem; in *Præambulis Conc. Chalcedonensis*; in ed. *Conciliorum Petri Crabbe* tom. I, fol. cccxciv.

1544. *Coloniæ Agrippinæ; in-fol.* S. Petri Chrysologi... Sermones. Laudat hanc ut superiorum quoque Dominicus Mita, et ex eo Jo. Alb. Fabricius in Bibl. M. et Inf. Lat. qui voluminis formam ascripsit. Notatur in Cat. Bibl. Bodl. abs voluminis forma.

1544. *Parisiis; in-8º.* S. Petri Chrysologi... Sermones. Commemorat hanc descriptionem Fabricius l. I, additque in Autographis Rudolphinis, tom I, p. 467, eam præter rem pro prima venditari. At in *Cod. Bibl. Bodleianæ* exstat editio Parisiis 1545, in-8º, quæ eademne sit, an diversa, nescio.

1574. *Parisiis, apud Hieronym. de Marnef; in-8º.* S. Petri Chrysologi Sermones.

In hanc editionem emendationes suas scripsit Latinus Latinius. Fabricius octonis factam esse prodidit. Apud Dom. Mitam laudatur editio Parisiensis a. 1575.

1577. *Antuerpiæ.....* Petri Chrysologi Sermones. Laudat Mita in præfatione.

A 1579. *Coloniæ Agrippinæ, apud Jo. Carolum Munich; in-4º.* Editio Sermonum Petri Chrysologi et Maximi Taurinensis quæ hunc annum operarum vitio in titulo gerit, ad sequens sæculum referri debet.

1585. *Parisiis, apud Hieron. de Marnef; in-8º.* D. Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis opus Homiliarum nunc primum editum (sic).

1588. *Venetis.* Petri Chrysologi Sermones. Teste Mita l. I.

SÆCULO XVII.

B 1604. *Moguntia, apud Balthas. Lippium sumpt. Ant. Hierat; in-4º.* Petri Ravennatis seu Chrysologi epistola contra Eutychem, Græce et Latine cum notis Gerardi Vossii D. et præpositi Tungrensis; in *Miscellaneis SS. aliquot Patrum Græcorum et Latinorum antehac non editis*; adjectis Operibus Gregorii Thaumaturgi, pagg. 205-8, Græca ad cod. ms. card. Sireleti, Latina ex codd. Vaticanis num. 2574, 2576 et 2580, edita sunt. Ac in prioribus duobus non nisi prior pars Epistolæ exstabat.

1606. *Coloniæ, Agr. sumptib. Jo. Gymnici et Ant. Hierat; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychem Lat. in *Sev. Bini Conciliis*, t. II, ab initio, inter Epistolas præambulares in Conc. Chalced. cæc.

1607. *Moguntia in-8º.* S. Petri Chrysologi Sermones. Laudat hanc editionem usu sibi cognitam Christianus Daunius.

1609. *Romæ, ex typogr. Vatic.; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychem, Gr. Lat.; in *Conciligen. Eccl. Cathol.* t. II, p. 32. Græca ad codices mss. Bibl. Vaticanæ Sforlianæ, Colannensis, olim card. Sireleti et Ant. Augustini archiep. Tarracensis descripta sunt.

1612. *Parisiis, apud Hieron. de Marnef; in-8º.* D. Petri Chrysologi opus Homiliarum sive Sermones CLXXVI. Accessit ejusdem Epistola ad Eutychem presbyterum Græce et Latine, cum notis et variis lectionibus ex mss. Vatic. et eardin. Sireleti edita. Cat. Bibl. Reg. Paris., cujus exemplari passim additæ sunt emendationes ex ms. codice studio T. Mantelli.

1613. *Moguntia.....* Petri Chrysologi Sermones. Dom. Mita in Præf.

1614. *Parisiis, apud Claudium Morellum; in-fol.* S. Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis eruditissimi et sanctissimi Sermones; cum Leone Magno et Maximo Taurinensi

D 1618. *Parisiis, sumpt. Sebast. Cramoisy; in-fol.* S. Petri Chrysologi... Sermones; cum iisdem repetitæ editionis.

1618. *Coloniæ, apud Ant. Hierat; in-fol.* Petri Chrysologi episcopi Ravennatis homiliæ de Dominicis et Festis aliquot solemnioribus totius anni, ex impressione Parisiensi; ejusdem Epistola ad Eutychem cum Notis Gerardi Vossii; in *Bibl. PP.* t. V, p. 11.

1623. *Lugduni, sumpt. Claudii Landry; in-fol.* Petri Chrysologi... Sermones; cum Leone M. et aliis homiliarum auctoribus. Dominicus Mita Lugdunenses editiones præter hanc enumerat annorum 1622, 1627, 1634 et 1636.

1691, Parisiis.... Petri Chrysologi Sermones. A Nascido an cum iisdem auctoribus, an seorsim. Laudat Dom. Mita.

1693. Lugduni.... in-fol. S. Petri Chrysologi Sermones; in *Heptade præsulum Christiana sapientia et facundia clarissimorum* THEOPH. RAYNAUDI.

Accessit *Epistola ad Eutychem*; item *Vita Chrysologi*, testimonium Trithemii et index duplex.

1696. Venetiis.... Petri Chrysologi Sermones Teste Mita.

1696. Bononiæ.... Idem. Eodem sponsore.

1643. Bononiæ, per Nicolaum du Solié; in 4^o. D. Petri Chrysologi Forocorneliensis, Ravennatum archiepiscopi, Homi liæ sacræ, sive Sermones aurei, recogniti, emendati, ac maxima parte [varii lectionibus, scholiis et observationibus] illustrati; opera et studio Dominici Mita. Cat. Hbl. Reg. Paris.

Nobis ad manum est exemplar Venetum ad Bononiense, ut videtur, satis accurate expressum. Inde discimus *Dominicum Mitam* sacerdotem parochum Ugutionelli, antea legum studio et forensibus negotiis vacantem, hominem mediocriter doctum longo correctioris Chrysologi textus desiderio exercitum, tandem cum mss. aliquot codicum copiam nactus esset, adductum esse, ut ipse operam suam ei perpurgando illustrandoque commodaret: *Utterius perquirendo*, inquit, *didici hujus operis adhuc quatuor superesse manuscripta exemplaria, nempe duo Romæ parum ad impressit discrepantia: sed Urbini unum in Robertana, Cesenæ alterum in Franciscana bibliotheca, quæ inter se cunctis penè conveniunt, at in quamplurimis a vulgatis discordant. Quare aditu ad manuscripta viz patefacto, ea ipsa partim per amicos, partim per me ipsum pervolutavi et adhibito sodali semel ac a capite usque ad calcem cum exemplari primum Bononiæ impresso contuli, atque errata quæcumque, ut licuit, calamo correxi; variisque nec inutiles lectiones in margine uscripsi, mendosis, quibus mss. exuberant, rejectis, et si quid ex illis omni ex parte emendari nequivit, studui id mentis speculatione supplere; tametsi hoc raro factum est, quod hæc ratio maximis difficultatibus obstructa lubrica sit et fallax. Addidit scholia inruditis saltem profutura, aut litteratorum mentes stimularura, quo præstantiora scrutentur. Sunt partim moralia, partim sensum fusius quam plerumque opus erat, illustrent, raro ad dogmata aut historias descendit, et tum sere Scholia et Notationes, vel Observationes inscripsit; rarissime de varietate aut emendatione lectionis disputat. Confecit præterea indices duos, alterum alphabeticum Sermonum, in quo tamen non tam singuli sermones, quam materiæ in quo libet sermone primario exarata recensentur, alterum rerum et verborum notabilium. Hinc vero elenchum juxta ritum Evangelicorum, quæ in sacro pro tempore leguntur, in superioribus ad concionatorum usum plerumque addi solitum velut supervacaneum omisit. Tandem et *Vitam Petri Chrysologi ex ipsius homiliis, et varii scriptorum monumentis tum impressis, tum manuscriptis accurate conquisitam,**

studiose collectam et ordinatim digestam addidit, eique pro majori, ut ait, aliquorum quæ in ea memorasset testificatione sequentia subjunxit documenta: 1^o *Epistolam S. Petri Chrysologi ad Eutychem hæreticum*; 2^o *Epistolam Leonis papa I ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum contra Eutychetis perfidiam et hæresim*; 3^o *Epistolam Matthæi cathedralis ecclesiæ Imolensis præpositi, transsumptam ex tabella ipsius manuscripta, qua testatur se corpus B. Petri Chrysologi attrectasse*; 4^o *Elogium ex Trithemio*; 5^o *Agapiti Vicentini præfationem ad editionem Bononiensem*; 6^o *præfationem B. Felcisi, XL Ravennatum archiepiscopi in Sermones aliquot S. Petri Chrysologi ex mss. codd. Valicellæ, Cesenæque et alibi*; 7^o *Epistolam F. Petri Rodulphi Tussignanensis, episcopi Senogalliensis ad senatores Imolæ, qua Sermones Petri Chrysologi a se recognitos ipsi edendos offerebat, ex Commentariis Senatus a, 1595 desumptam.*

Sic elaboratum Opus pellexit, inquit, ad inscribendum: Sermones maxima ex parte illustrati, quod eorum codex, Vitaque index e tenebris erutus, et a sordibus vindicatus magis quam antea sit legentibus enucleatus ac declaratus; nitore insuper atque splendore longe omnibus exemplaribus hæc opera præstet. In quo faciundo, pergiti, quos sumptus, labores et pericula subierim, quam ægra sæpius valetudine prostratus jacuerim; quosque adversarios ac desertores domi forisque fuerim perpessus, scit tæpe qui tandem e cælo protexit, Chrysologus sanctus; sciunt multi docti probatique Patres, qui me etiam inter silvas ad animarum curam longe a sapientium congressu residentem, librorum et bonæ valetudinis expertem adversa prope omnia superasse, et opus propositum aliqua demum ex parte absolvisse mirantur; quod adhuc in tenebris delitesceret, nisi illorum sincero iudicio nunc edere fuisset compulsus. Postremo de stylo suo excusationem addit necessarium utique et vere facietam. Ait enim juxta Senecæ monita in hoc opere componendo magis se quævisse quid scriberet; inde, et quia aliorum sententias referens propriis verbis transcribendas censisset, necesse fuisse ut stylus multorum et ex multis constans non idem semper haberetur. Quod si tamen tam in componendo quam in transcribendo multa excidissent, quæ vel oscitanter, vel minus apte posita essent, hoc Dei permissu factum lectores arbitrari jubet, ut tandem *Sciunt gentes quoniam homines sunt* (secundum psalm. ix). Nuncupavit editionem suam *Ferdinando Millino S. Imolensis Ecclesiæ episcopo et Bæneariæ comiti, ep. d. ex æde sacra Paræciæ S. Agnetis Ugutionelli: v. Kal. Aprilis h. a.*

1644. Parisiis, ex Typogr. Regia; in-fol. Petri Ravennatis *Epistola ad Eutychem*, Gr. Lat.; in *Concil. Coll. Regia. Tomo VIII, p. 41.*

1661. Parisiis, apud Simeonem Piget; in-fol. S. Petri Chrysologi.... opera; in *Theoph. Raynaudi Heptade* h. a. et l. recusa.

1662. Parisiis, sump. Ant. Bertier in-fol. S. Petri Chrysologi Sermones varii juxta anni totius Evange-

lia, festa Dominica et Sanctorum digesti in *Franc. A. Combesii Bibliotheca PP. Concionatoria*.

Sequitur Combesius Dominicum Mitam, cui in plerisque etiam de vita Petri astipulatur. Sed ipsi haud displicet sententia, non omnes hujus collectionis sermones unius ejusdemque esse auctoris, quamquam non ab arguente ex singulis sermonibus ductis sic colligit, sed eo potius, quod in aliis velut Chrysostomo, Bernardo et aliis homiliarum scriptoribus fieri consuevit.

1666, Parisiis, apud *Carolus Saureus*; in-4^o. S. Petri Chrysologi Sermones quinque de Oratione Dominica, sub titulo: *S. Petri Damiani S. M. R. Cardinalis*; in *Lucas Daumii Spicilegio vel obiquot scriptorum, qui in Gallia bibliothecis maxime Benedictinorum latuerunt* tomo VII, pagg. 120-127.

Quod semper accidit talium Collectionum auctoribus, non exceptis Baluzio, litteralissimo viro, ut, dum sua uaius opera tantam curam sustinere aggressi essent, aut memoria aut diligentia interdum deficerent et dudum edita pro ineditis venditarent, id *Dacherio* etiam in his sermonibus accidit, qui in Feliciana collectione num. 67, 68, 70, 71, 72, et quidam emendatiores leguntur, quam hic ex codice quodam Cartheisii representantur. Monitus hac de re, tomo VII, post indicem contentorum hæc ascripsit: « Ut in tomo VII Spicilegii Petro Damiano sermones 5 in Orationem Dominicam tribuerem, suavit codex ante annos scriptus quadringentos, qui Petri Damiani nomen distincte præferbat. At postquam in publicum prodiit tomus ille, monuit me suis litteris doctissimus theologus noster *Steph. de Marais*. Sermones hosce Petri Ravennatis sive Chrysologi esse genuinos, ob varias et minime spernendas rationes; quas habens calculum adieci meum. Eruditis tamen reliquo iudicium. » Sic ille; non allatis quas ipse doctus ille suppeditaverat rationibus, quarum gravior nulla tamen esse poterat, quæ quod jam dudum in antiquissima, cæte Petro Damiano antiquiore Sermonum Chrysologi collectione exstarent et cum ea excusi essent. Sed hæc fateri illum fortasse puduit. Attamen et in indice generali tomo XI Spicilegii subjecto Petri Chrysologi esse notavit, ejusque nomen etiam præferunt in secunda hujus operis editione, licet curator ejus *Ludovicus Franciscus Joseph de la Barre* prorsus neciret quo jure posterius priori esset præferendum. Reprehendit potius *Dacherium* quod rationes, quæ ipsum, ut suo codici minus fideret impulissent, non ediderit, additque si quis malo exemplo ab eo factum esse contenderet, se minime adversaturum. Qui si editum aliquem Chrysologi Sermonem codicem inspexisset, non modo rationes illas facile ipse

(a) *Tot mendis*, inquit *La Barre* in annotatione prima ad. Serm. II, *tot mendis scitent hæc Homilia, quot ne perspicacissimus quidem unus ex conjectura tollere potest; quamobrem nihil hic nisi omnino castigatum lector despectet, nolim; haud pauca quidem loca facile corrupta restituissemus, sed de omnibus restituendis ne cogitavimus quidem; sunt enim nonnulla*

deprehendisset, sed caruisset etiam multis quas ibidem protulit, non ineptis sane sed minus necessariis emendationibus, quippe quæ plerumque omnes jam in antiquioribus editionibus Chrysologi distincte leguntur (a). Ejus vero et *Dacherii* exemplum fraudi fuit aliis: veluti *Fabricio* et *Mansio*, immo et novissimo editori in tantum, ut quinque istos Sermones cæteris superaddendos curaret.

1670. *Cygnæ, typis et sumpt. Sam. Ebelii*; in-8^o. D. Petri Chrysologi de Incarnatione Christi Sermo CXXI et CXXIX, et de Infantum Nee CLII et CLIII; in *Div. Patrum Homiliis in Festum Nativitatis Jesu Christi* editis a *Christiano Daumio*, pagg. 81-91.

Expressi autem edd. Moguntina 1607, Lugdunensi 1623, et quæ in Colonensi PP. Bibliotheca est. At Mitæ editio *Daumio* non innotuisse videtur, siquidem in præfatione scripsit, illas editiones novam recensionem desiderare, eandemque flagitare lectionum varietatem, quæ ex iis quæ *Thomas Hibernicus* et hinc *Allegoriarum Collector* in Collectanea sua transtulerint animadverti possit. Idem *Caesaris Barthii* in Chrysologum laudes ibidem profert.

1671. *Lutetia Parisiorum, impensis Soc. Typogr.*; in-fol. Petri Ravennatis Epistola ad Eutychen, Gr. Lat.; in *Conciliis Labbei et Cassartii* tomo IV, p. 25.

1671. Parisiis, sumpt. *Petri Variquei*; in-fol. Petri Chrysologi.... Sermones CLXXVI, cum *Leonis M. et aliorum Opp.* collectis a *Raynando*.

1672. Parisiis, apud viduam *Caroli Saureus*; in-4^o. Petri Chrysologi Sermo de Natali Domini contra Nestorium; eddidit ex codice vetuste tantquam auctoris incerti scilicet *Lucas Dacherius* in tomo XI, page 279-281.

Acceperat a *Chiffletio*. In vulgatis editionibus auctior et emendatior exstat num. CXLV, quod primus monuit *Paulus Colomæsius* in *Paralipom.* de SS. Eccles. p. 263, et *Obs. Sacris* p. 123. Cf. *Fabricius* in *Bibl. M. et Inf. Lat.* Minime igitur latere debuisset editorum novissimum.

1673. *Lut. Paris., sumptib. Jo. Bapt. Coignard*; in-4^o. Petri Chrysologi episcopi Ravennensis ad Eutychen presbyterum Epistola; Latine cum notis *Paschasti Quæsnelli*; cum *Leonis M. Operibus*, post epistolam 23, t. I, pagg. 477. Notæ exstant tomo II, pagg. 329-41 (in ed. *Lugdunensi* 1700, in-fol. t. I, pagg. 241, 42. Tomo II, pagg. 456-58).

« Triplicem, inquit *Quæsnellus*, hujus epistolæ editionem invenio: unam, quam habent *posteriores sancti Leonis editiones*, ubi ex ms. Cod. *Thuanæ* Bibliothecæ descripta legitur Epistola; alteram, quam ex ms. codicibus Vaticanis num. 2576 et 2580 et cardinalis *Sirloti* procuravit *Gerardus Vossius* doctor

quæ nisi opo ms. codicis emendari non possunt. Interdum tamen correctiones ejus in locis corruptissimis adeo cum impressis Chrysologi codicibus concordant, ut dubitare possis, an tantum sola conjectura hominis assequi valeat. Scilicet non semel, sed ubique ferme veram lectionem deprehendit.

catholicus: tertia denique ea est, quæ in prima parte Actorum Chalcedonensis consilii legitur cum Græca versione. Prima editio primum tantummodo caput continet, alterum integrum desiderat: reliquæ duæ utrumque caput complectuntur (a). Unde ista diversitas fluxerit, certo asserere non ausim: versimile tamen est, vel editorem illum incidisse in mutilum codicem, vel ipsum codicem ab editore fuisse mutilatum. » Inquiri porro quæ mutilationis istius causæ esse potuerint, et an integra etiam pro genuino episcopi Ravennensis fetu haberi possit. Quod quidem asserit, et deinde sic pergit: « Unde quo facto decurtata habeatur in vulgatis sancti Leonis editionibus, non assequor. Codicem quidem Thuaneum commemorant, ex quo deprompta fuerit ab editore. An hoc ita sit, nescio. Hoc scio, unicum in Catalogo Tuaneorum mss. codicem a me repertum, qui Epistolam sancti Petri Chrysologi contineat, cum aliis nonnullis ad synodum Chalcedonensem pertinentibus: in hoc vero codice integram haberi Epistolam. Cui si mss. Vaticanos et card. Sirleti codices, antiquasque ac recentiores Baronii et Conciliorum editiones adjunxeris, vix restat dubitandi locus, quin vel in editoris illius, si non malam fidem, saltem oscitantiam, vel in Codicis vitium refundenda sit Epistolæ diminutio. » Utinam vero Quesnello indicare placuisset editionum Leonis M. folium paginamve, in qua Petri hæc epistola exstat, quam a se lectam fuisse tam diserte significat.

1676. *Lugduni, sumptib. F. Fr. Anissoniorum et Joan. Poyssel; in-fol.* Divi Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis Sermones Aurei ad Exemplar Seraphicæ Cesenæ bibliothecæ correcti, scholiis ac locupletissimis moralium conceptuum varietate Commentariis illustrati. Nunc recens in gratiam divini verbi concionatorum, addita Sanctissimi Doctoris Vita, nec non et ejusdem ad Eutychem Epistola Notis pariter elucidata, prodeunt in lucem opera et labore R. P. Fr. MARTINI DEL CASTILLO *Burgensis Minoritæ de Observantia: in S. Evangelii Mexicana Provincia Lectoris Jubilati, Theologiæ honor. Alex. VII. Rescripto decorati Magistri. Olim in eadem Provincia Ministri Provincialis: et in magno S. Bonavent. Collegio Rectoris, atque studiorum Regentis.* Accessit his Index quadruplex: I. Scilicet Sermonum; II. Locorum Scripturæ sacræ; III. Evangeliorum ad Conciones per Annum; IV. Rerum denique notabilium.

Bellus hic artifex novem et quod excurrit alphabetæ commentariis suis in *XXII Chrysologi Sermones et Epistolam ad Eutychem* implevit. Illud cum superiori editore Dominico Mita commune habet, quod licet ingens titulorum syrma post nomen trahat, tamen de iniquitate fortunæ conqueritur, nec propitiorum habuit Facundiam deam. « Apposui in corde meo, inquit, *universos CLXXVI Sermones D. Petri Chrysologi meis illustrare commentis: idcirco brevi spem completi marginali scholio ad depromendum rimandumque sensum ejus subtilissimum me con-*

*tuli, latiori sermone (nec enim periculosum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet, junior aiebat Plinius) inchoavi et vixi duos sermones, una cum ejus epistola ad Eutychem hæreticum, quos complevi, exhibeo. Sed proh dolor! ophthalmia prolixè admodum lumina torsit; et quod magis est, novem et plus annis, lippientem me limis oculis fortuna prospexit, retrahens invida, qua laboriosa a penso, laborare cupientem. Pluries repeti cum Diogene Cynico: Euge, o fortuna, quod viriliter me tractasti! Me peccatorem, me scelestum, flagellis felicem Deus Op. Ma. fecit, tenuit me semper idiographum, cum amanuense nusquam, bibliotheca orbatam et cella fere exsulem. Idem quoque testatur, se quæsisse magis quid scriberet, quam quemadmodum, non curasse se sollicitam, comptam perpolitamque orationem, sed remissius loqui voluisse, ut loqueretur securius. Unum quod in toto opere non prorsus ineptum judices, est *Vita Petri Chrysologi*, in qua Scripta etiam editionesque eorum attingit. Nuncupatum est *Petro Principi Portocarero Folch de Arragon et Corduba*, etc., epistola quæ omnibus ingenii auctoris sui luminibus radiat.*

1677. *Romæ, sumptib. Pontii Bernardon; in-fol.* Latini Latini Viterbiensis Variæ Lectiones et Observationes in Petrum Chrysologum; in *Bibliotheca ejus Sacra et Profana*, t. I, pagg. 98-103.

Pertinent hæc observationes, quæ commendatione alia præter auctoris nomen non egent, ad sæculum superius. Obiit enim Latinius a 1593. Usus est editione Parisiensi a. 1574.

1677. *Lugduni, apud Anissonios; in-fol.* S. Petri Chrysologi Sermones (CLXXVI) et Epistola ad Eutychem cum notis *Ger. Vossii*, in *Max. Bibl. PP.* tomo VII, pagg. 803-979.

1679. *Coloniæ Agrippinæ, apud Jo. Carolum Munich et Petrum Ketteler; in-4°*; D. Petri Chrysologi archiepiscopi Ravennatis viri eruditissimi atque sanctissimi Sermones in Evangelia de Dominicis et festis aliquot solemnioribus totius anni insignes cum triplici indice, Evangeliorum et Epistolarum, Locorum S. Scripturæ rerumque et verborum in lucem editi. (Accesserunt Sermones Maximi Taurinensis.) *Editio prima in Germania* (sic).

Typothetæ incuria annus in titulo exscriptus est MDLXXIX. Etiam si vero satis typis et tota descriptione sæculum se proderet, non tamen meo unius arbitrio statuere ausus sum, antequam aliunde mihi hæc dare constaret. Sed jam certus sum et lectores monitos volo, ut Maximi Taurinensis editionem a. 1579, ad sequens sæculum transcribant. In *Cat. Bibl. Reg. Paris* laudatur hæc editio anni 1678.

1684. *Parisiis, apud Franc. Muguet; in-fol.* Petri Chrysologi Sermones duo: unus de pace in illud Matthæi v, *Felices pacifici*, etc. (LIII); alter de Natali Joannis Baptistæ; inter Augustinianos, quos Benedictini secreverunt per *Appendicem* tomi V, classe 1, num. 61, et classe 3, num. CXCIX.

Prior olim inter Sermones *de Tempore* erat num.

(a) Adeoque non tres sed duæ tantum numerandæ fuissent ut rectius a Fabricio et Balleriniis factum est.

CLXIX, postea in App. LVII; posterior inter Sermones de Sanctis XXII, post in App. LXXVII. Sed ille passim interpolatus est et multis sententiis auctior, quas proinde Maurini ansulis monstrarunt; hic ab initio decurtatus. Erat ergo ratio, cur novissimus editor eosdem editioni suæ insuper adjiceret, ut a Mansio discimus, Alii duo insuper inter Augustinianos Sermones occurrunt, nempe num. CXXI, de Natali Domini V, quem in quibusdam mss. Petri Ravennatis nomen præferre notant, et Sermo XCVII de verbis Evang. Joan. XIV, *Pacem meam do vobis*, etc. quem cum LXI Chrysologi stylo convenire monent iidem.

SÆCULO XVIII

1714. *Parisiis, ex Typogr. Reg.; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychem; in *Concilii Harduini*, tomo II, pagg. 22.

1723. *Parisiis, apud Montalant; in-fol.* Petri Chrysologi Sermo de Natali Domini et Sermones V in Orationem Dominicam; in nova editione *Spicilegii Lucæ D'Achery* quam curavit *Ludovicus Franc. Joseph La Barre* tomo I, pagg. 41, 215-221.

Vide quæ dicta sunt occasione editionis primæ a. 1666 et 1672.

1742. *Venetis, apud Augustinum Savioli; in-fol.* Sancti Petri Chrysologi Forocorneliensis Ravennatum archiepiscopi Opera omnia cum observationibus et indice rerum locupletissimo *Dominici Mitæ*. Accessere præterea in hac nostra editione S. Valeriani Comeliensis episcopi Homiliæ quotquot exstant.

Bibliopolæ instituto Bononiensis a. 1643 editio accurate recusa et cultu non honesto modo, sed etiam magnifico dotata est.

1750. *Venetis, in-fol.* Sancti Petri Chrysologi Opera omnia ad codices mss., recensita a P. *Sebastiano Pauli* Clerico Reg. Congregationis Matris Dei Lucensis.

De hac editione non nisi ex iis constat, quæ cl. *Mansius* in Bibliotheca Fabriciana mediæ et infimæ Latinitatis T. V, pag. 253, ad supplendam de Chrysologo notitiam recitavit. « Non est, cur hic præteream, inquit, quam sub ipso anno suo æmortalis evulgavit vir cl. P. *Sebastianus Pauli* congregat. Matris Dei Lucensis, sodalis meus dilectissimus et amicus dum viveret in primis charissimus. Prodiit illa typis Venetis a. 1750, T. I (quod interpretor volumine uno) in-fol. Præterea quæ in præcedentibus editionibus patuerunt adjecit sermones septem de

A Oratione Domini desumptos ex *Dacherii Spicilegio* tom VII, pag. 120, veteris editionis; geminos etiam alios ex appendice Sermonum S. Augustini editionis Maurinianorum. Recensuit totum opus ad veteres mss. codices; notas a *Dominico Mita* olim adornatas retinuit, quibus et suas adjecit, nec paucas, nec, ut vera fatear, indoctas. Quamquam vero laborem hunc viri eximii probo, multum tamen abesse credo, ut editio Operum Chrysologi sic tandem omnibus numeris absoluta reputetur. Admonet vir eximius ex orationibus hisce nonnullas Severiano cuidam in vetustis codicibus ascribi, qua ego præmonitione edoctus nactusque in veteri homiliario codice, reperto in bibliotheca canonicorum Majoris Ecclesiæ Lucensis, nec meo judicio sæculo XII recentiore, homilias quasdam Severiani nomine præfixas, unam aliquam ex illis conferendam assumpsit cum homilia Chrysologi, quæ inter editas est CII. Utramque consentientem reperi: simul tamen agnovi, hiulca quædam esse in edito, quæ egregie supplebantur a codice illo. » Profert ibidem variantis lectionis aliquot exempla. Sed non hujus demum editoris fuit illa admonitio, nonnullas homilias Severiano in codicibus vetustis ascribi, sed dudum in Bonniensi prima ab *Agapito* illud observatum est. Nec admodum diligentiam ejus commendat, quod bis eosdem *Sermones V in Orationem Dominicam* exscribendos dederit.

1753. *Venetis, apud Simonem Ochoi; in-fol.* Petri Chrysologi episcopi Ravennatis ad Eutychem presbyterum Epistola, Gr. Lat. cum admonitione et notis *Balleriniorum*; in *Operibus Leonis M. T. I*, epistola XXV, pagg. 775-78.

Ballerinii docent decurtatam epistolam, de qua *Quesnellus* primum monuit, proficisci ex collectione Canonum Hispana, ex eaque in *Isidosianam*, indeque in reliquis Collectiones fluxisse. Simul tamen ostendunt integræ originem potioris esse et antiquitatis et auctoritatis, quippe quæ inveniatur in collectione epistolarum in causa Eutychetis, quæ actionibus concilii Chalcedonensis præmitti solet, ante medium sextum sæculum Latine compacta. Suspiciantur autem priorem partem epistolæ quam etiam Hispanica collectio profert originalem esse posteriorem ex Græco usam.

1761. *Florentiæ, expensis Ant. Zattæ Veneti; in-fol.* Petri Ravennatis Epistola ad Eutychem Gr. Lat., cum præmonitione et notis *Balleriniorum*; in *Collectione ampliss. Concilior.* tom. V. pagg. 1347-1350.